

# DE CERTAMINE TURICENSI ANNO 2007° PRIMUM EXHIBITO

Tres iuvenes artis vertendi peritissimi corona laurea ornati sunt. Tibor enim Stolz Pfaffenhusiensis<sup>1</sup>, Eben Freeman Mannedorpiensis<sup>2</sup> – uterque discipulus quintae classis gymnasii Altii Ambulatorii<sup>3</sup> Turicensis – Maximusque Cè Vitudurensis discipulus classis quintae b gymnasii Montis Divitis<sup>4</sup> se Certamine Turicensi primum exhibito peritissimos artis textus Latini in linguam Theodiscam vertendi praebuerunt.

A *Foro Linguis Antiquis Fovendis Turicensi* (FLAFT) invitati die 23° mensis Novembris anno 2007° triginta duo discipulae discipulique Latine discentes e quintis gymnasiorum longorum, quae dicuntur, classibus vel e brevium sextis<sup>5</sup> in gymnasium Gaudiomontanum<sup>6</sup> Turicense confluxerant, ut vertendo textum Latinum satis difficilem atque interpretando certarent.

Cum bene mane a Thoma Fleischhauer, qui munere magistri artis didacticae linguarum antiquarum in universitate litterarum Turicensi fungitur, et a Philippo Xandry, quem FLAFT eodem delegaverat, familiariter salutati essent, certaminis textus – epistula enim a Beato Rhenano, viro docto et humanissimo Alsatio, ad Udalricum Zwingli, reformatorem (qui dicitur) Turicensem scripta – gymnasii discipulas discipulosque in discrimen haud exiguum vocavit; non plus enim temporis quam duae horae et dimidia eis concessa erat ad hoc officium perficiendum. Tum, priusquam omnes communiter prandium sibi oblatum in scholae refectorio sumerent, nonnullas pelicularum tempora antiqua tractantium partes spectare atque gustationem Romanam, i.e. potum quendam, moretum – casei caprini et herbarum mixturam – nec non dactylos nucibus refertos comedere potuerunt.

Dum magistrorum magistrarumque linguae Latinae grex opera discipulorum corrigendi causa postmeridiano tempore inspiciunt ac notis censoriis afficiunt, Philippus Xandry cum participantibus excursionem per Turicum antiquum suscepit. In Platea Vinea<sup>7</sup> eis reliquias thermarum Romanarum annis 1983° et 1984° inventas et bene conservatas, deinde monumentum Romanum, quo primum inscriptum est nomen Turici, in Aula Tiliarum<sup>8</sup> explicavit.

Hora autem quarta postmeridiana Certamen Turicense praemiis distribuendis et confectum et coronatum est, quod ad inceptum discipuli denuo in gymnasium Gaudiomontanum confluxerunt. Ipsi vero sicut universitatis litterarum legati aderant professores academici Udalricus Eigler palaeophilologus Latinista et Petrus Stotz Latinitatis mediaevalis professor emeritus. Ille non impeditus est, quin Tibori Stolz, Ebeno Freeman Maximoque Cè laudatione Latina habita in successum cordialiter gratularetur atque ipsis praemia, quae erant camisia atque tessera libris emendis ducentorum francorum Helveticorum, traderet. Hic vero omnibus bonis brevem adiunxit allocutionem Theodisce prolatam. At non modo victores tres donis donata sunt, sed etiam undetriginta ceteri participantes non domum remissi sunt nisi sportula parvula quasi memoriali affecti.

Certamen Turicense insuper quotannis exhibitum iri placet FLAFT anno 2005° a palaeophilologis palaeophilologabusque condito, cuius auspiciis certamen hoc creatum est. Quod efficiat, ut inter homines magis magisque innotescat, quanti sint linguae antiquae momenti.

Scripsit Udalricus Aeschlimann, in linguam Latinam vertit Martinus Meier

<sup>1</sup> Pfaffenhusia est vicus haud procul Turico ab urbe situs.

<sup>2</sup> Mannedorpium vicus est ad litus aureum, quod dicitur, situs, i.e. ad dextrum Lacus Turicensis litus.

<sup>3</sup> Altum Ambulatorium vulgo Hohe Promenade nuncupatur.

<sup>4</sup> Mons Dives est tribus quaedam Vituduri urbis; vulgo Rychenberg vocatur.

<sup>5</sup> In Helvetia gymnasia sunt longa et brevia. Longa sex annos, brevia quattuor annos continent.

<sup>6</sup> Gaudiomontanum gymnasium, quod vulgo Freudenberg appellatur, est situm in Turici parte meridiana

<sup>7</sup> Theodisce: Weinplatz

<sup>8</sup> Theodisce: Lindenhof